



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

140. Dominica 3. post Pascha. De loco & spatio corporis gloriosi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

quod privilegium sicut sola Virgo accepit, sic sola Deum de ea quantum satis gavisa est.

5. Gratia in B. Virgine operata est fomitis extinctionem, qui inclinat ad sensibilia bona, excitat & nutrit in homine inordinatos ardores desideriorum, rationi repugnantes, ideoque peccaminosos: atqui B. Virgo caruit fomite præ omnibus hominibus, igitur præ omnibus gavisa est.

6. Gratia in B. Virgine operata est vitam immaculatam, ut careret omni foeditate peccati omnis, quia *nihil spurcum, ubi Deus est* ait Gregor. Nazianz. orat. 6. præ omnibus igitur gavisa est.

7. Gratia in B. Virgine operata est omnem actionem virtuosam. Gaudent parentes de pulchro filio, ipsa autem magis de innumeris virtutum actibus perfectissimis totam vitam exercitis gavisa est. Petam triplicem gratiam. 1. Ut sim in gratia Dei, ne me oculi Dei unquam videant inimicum Dei. 2. Ut non perdam gratiam Dei, petam impetrari mihi auxilia efficacia Dei. 3. Petam verbis & factis meis talem dari efficaciam, ut quam plurimos Deo adducam.

MEDITATIO CXL.

Dominica 3. post Pascha.

De loco & spatio Corporis Beati.

L 2

Aspi.

Aspiciam immensa Beatorum spatia: quia Apoc. 7. vidit turbam magnam, quam numerare nemo poterat: si nemo numerare turbam, ergo nec mensurare locum. Petam intelligere mansiones coelestes, & eas consequi.

Conf. 1. Cùm coelum sit Regnum Electorum, decet, ut juxta proportionem gratiae gloriae respondeat unicuique quantitas Regij spatij coelestis: non enim dubitandum est, quòd omnipotentiae Deus infinitae ad divitias gloriae suae patefaciendas creaverit Empyrium tam vastum, ut cuivis electo licet minimo spatium còpetens disposuerit ab aliis distinctum terrâ nostrâ majus quâ comparatione firmamenti punctum est exiguum: nec dubitandum tantò elegantiora esse illa spatia, quò praestat coelum terrâ, stabulum aulâ regiâ, carcer palatio.

Conf. 2. Immensa Empyrij spatia in novem distincta globos, & in ijs amplissimas partibus unoquoque Angelo & Beato habitationes lucidas, immobiles, incorruptibiles, quarum fundamenta omni lapide pretioso ornata quarum muri magni & alti ex lapide Jaspide, forti, viridi, transparente, quae tria significant stabilitatem, amœnitatem, claritatem habitationis. quarum pavimento est mundum, tanquam vitrum pellucidum.

Dominica 3. post Pascha. 245

cidius stellis, lunâ, sole: nam claritas Dei illuminat omnia, & lucerna ejus est agnus. Templum illius solus est Dominus Deus omnipotens, quò non intrabit aliquid coïnquinatum, nec abominationem faciens, nec mendacium: quia mundos corde, manu, ore requirit: qui scripti sunt in libro ... & Agni, illuc intrabunt, ut ab erget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Felices lacrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget! Et mors ultra non erit in Patria viventium, non erit luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt vitæ mortalis mala, & venerunt bona omnia pariter cum gloria vitæ secundæ beatæ, de qua Ps. 87. Sicut letantium omnium habitatio est in ea Civitate multarum mansionum pro varietate meritorum.

Conf. 3. Cùm tota lætitia in habitatione cœlesti oriatur ex Deo totius felicitatis principio: idemque Deus sit in Eucharistia, sequar consilium Augustini dicens: in ps. 147. Famelici Dei esse debemus: quia ut idem ait in Psal. 17. In illa civitate erimus, ubi DEVS panis est.

MEDITATIO CXLI.

Feria 2. post Dom. 3. post Pascha.
De Corpore glorioso, impassibili, & claro.

L 3 Videbo